



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Evangelistarivm M. Maruli Spalaten. opus vere
euangelicum, sub fidei, spei & charitatis titulis in septem
libros partitum**

Marulić, Marko

Coloniæ, 1532

VD16 M 1298

Quantum prosint res aduersæ. ca. 17.

urn:nbn:de:hbz:466:1-35578

quillo, sed in tempestate probatur: Militis virtus in cer-
 ramini discrimine noscit. Christianus an deum diligat,
 aduersitatibus experit. Nec potest esse Christi famulus, qui cum
 illo laboriosa atque difficilia subire recusarit. Qui non
 baiulat (inquit) crucem suam, & venit post me, non po-
 test meus esse discipulus. Et iterum: Qui vult venire
 post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam &
 sequat me. Eis quoque qui in regno ipsius ad dextram
 & sinistram suam sedere petierant, respondit: Potestis
 bibere calicem, quem ego bibiturus sum? docens glo-
 riæ suæ consortem fieri non debere, qui passionum sua-
 rum se non fecerit participem. Hæc itaque crux, & hic
 calix, sunt stigmata illa domini nostri Iesu Christi, quæ
 se in suo copore portare Apostolus gloriabatur, dicens:
 Usque ad hanc horam & esurimus, & sitimus, & nudi su-
 mus, & colaphis cædimur, & instabiles sumus, & labo-
 ramus operantes manibus nostris, maledicimur, & be-
 nedicimus, persecutionem patimur, & sustinemus, blas-
 phemamur, & obsecramur, tanquam purgamenta hu-
 ius mundi facti sumus, omnium peripissima usque adhuc.
 Si qua talia tibi casu contingant, quæ multi pro Chri-
 sto sponte subire solent, de necessitate fac voluntatem,
 libenter cuncta sustinendo, quæ patientiam domino tuo te red-
 ditura sit charitorem, Beatus eris si cum propheta dicere
 poteris, Probasti cor meum deus, & visitasti nocte, igne
 me examinasti, & non est inuenta in me iniquitas, ut ma-
 gis ad probationem tribulatio incumbat, quam ad cor-
 rectionem; In illa enim iusti gaudent, dicentes, Quoniam
 probasti nos deus, igne nos examinasti, sicut examina-
 tur argentum. Et quoniam aduersitatum patientiam se-
 quitur consolatio, Transiimus (inquit) per ignem &
 aquam, & eduxisti nos in refrigerium.

Quantum prosint res aduersæ. Ca. XVII.

Prosunt igitur, non obsunt aduersa, si æquo ani-
 mo perferantur. Si enim assuesces ferre difficilia,
 quæ facilia sunt feres leuius. Deinde per pacien-
 tiam aduersitatum pro delictis facimus satis, quam quæ per
 voluptatum blandimenta perpetrant, per contrarium dolo-

- Malach. 3.** ris tolerationem purgari debent. Et cum hoc contigerit, tunc est nobis dominus, ignis conflans (vt Malachias ait) & quasi herba fullonum, excoquens & emundans quicquid in nobis feculentiae sordisque restabat. Ad haec in tribulationibus ardentius ad supplicadū accedimus, promptius ad exercenda pietatis studia exurgimus, per seuerantius de caelestibus cogitamus. Hoc testatur Dauid, dicens: Bonum mihi domine quod humiliasti me, vt discam iustificationes tuas. Denique cum calamitatibus oppressi obsecramus, facilius exaudimur, eodē sancto attestante, cum ait. Ad dominum cum tribularer clamaui, & exaudiuit me. Quod si vehementior ingruerit tempestas, orandum erit vt vel illa liberemur, vel vires nobis ad resistendum suppeditentur, ipso domino precipiente ac dicente: Inuoca me in die tribulationis tuae, & eruam te, & honorificabis me. Et alio psalmo: In tribulatione inuocasti me, & liberaui te. Contingit praeterea vt miseris grauati, ad illius opem confugiamus, de cuius bonitate, dum sine his ageremus, parum recordabamur orio tabescentes ac delictis. Isaias hoc docet, dicens: Domine, in angustia requisierunt te: & in euangelio Geraseni non ante venisse referuntur ad Iesum, quam iacturam passi fuissent porcorum. Nec filius luxuriosus prius ad patrem est reuersus, quam dilapidatis bonis, quae ab eo acceperat, cepit esurire. Tunc autem & virtute magis proficimus, cum contra casus aduersos luctamur. Hic enim solus campus est constantiae, fortitudinis, humilitatis exercendae. In quibus dum laboramus, caetera conseruantur. Cum enim praesentium rerum felicitas plurimis scaterere solita sit vitis, econtrario infelicitas ipsa custos innocentiae sit necesse est, in his qui ante infelicitatem innocentes erant. Felicitas terrena luxuriae ministra est, contaminat & confundit intelligentiae puritatem. Inde mens cupidinibus corrupta, inter turpe & honestum nullum agit discrimen, eoque facillime inclinatur, quo malarum voluptatum appetitus impellit. At vero in calamitatibus anxia sollicitudine excussus animus, ignaviae abiiciens caliginem, sapientiae luce

Psal. 118.

Psal. 119.

Psal. 149.

Psal. 80.

Isaia. 26.

Mar. 5.

Luce. 15.

incipit illustrari, & quo magis premitur, eo magis quidem ad sobrietatem rationemque sese transfert. Tunc & fragilitatem nostram plenius recognoscimus, summi dei potentiam sublimius contemplamur. Ex rebus autem prospere fluentibus, plerumque supra humanæ conditionis vires efferimur, & dum plagas non sentimus, de ipso omnium quæ in mundo accidunt plagarum autore minus cogitamus. Manasses dum feliciter regnaret, pessimus erat, amisso regno & in seruitutem redactus optimus euasit. Vnde ait scriptura: Et cognouit Manasses quod dominus ipse esset deus. Non ergo antea nouerat, quàm malis compellentibus vires illius considerasset, quæ in prosperitate contempserat. Hoc est quod in Ieremia dicit: Castigasti me domine, & eruditus sum. Paulus quoque apostolus ante lupus rapax ecclesiæque persecutor, postquam autem Christi voce perterritus incidit in cæcitate, de lupo versus est in agnum: & qui aduersus Christum steterat pro synagoga, pro Christo stare cepit aduersus synagogam, vim diuinitatis eius inter flagella expertus, & illum ipsum confitens, cuius confessores fuerat persecutus. Quod si tantum prodesse queunt aduersa, nonne fallitur, qui illa in malis ponenda arbitrat.

De patientia Iob, & quare bonis
accidant mala. Cap. XVIII.

VT autem omnium præsentium tempestatum magnitudinem superes, quanta passus fuerit vir deo charissimus Iob, & quæ ad omnem ærumnarum impetum immobilis permanserit, semper tibi occurrat, & si multo grauiora illum leniter placideque pertulisse inuenies, pudeat te in leuioribus minus esse fortem. Si quæ opum tuarum iacturam feceris, illi de immensis pecudum armentorumque gregibus nihil relictum est præter vnum seruum, qui ab inimicis cuncta die vno direpta atque ablata nunciauit. Si filio orbatus es, illius filios & filias omnes vnius domus ruina simul extinxit. Si aduersa laboras valetudine, ille a planta pedis usque ad verticem capitis huculceribus totus tabefactus, non in

Manasses.

2. Para. 33

Ierem. 33.

Paulus.

Actu. 9.

Actu. 22.